

LV

# DE IVDICIIS NATIUITATVM CLARISSIMI MATHEMATICI IOANNIS SCHONERI CAROLOSTADII LIBER PRIMVS.

## Prolegomena operis ante iudicium natiuitatis consideranda.



**S**OLENT omnes in hoc esse concordēs Astrologi, quòd ex figura & dispositione cœli, quæ est hora exitus infantis de utero, possint ea quæ à natura futura sunt, illi qui tunc nascetur, præuideri. Quare pro uera figura inuenienda, antiquiores uarias excogitauerunt regulas. Nam quidam uoluerunt, ut Ptolemæus & alij, quòd Almuten loci Coniunctionis uel Oppositionis immediate præcedentis natiuitatem, sit tantæ fortitudinis & potentia, ut omnia quæ in eodem mense fiunt, ad illius dominium referenda sint. Quare & Messahala rerum cœlestium antiquissimus scriptor, quando dominum Coniunctionis uel Oppositionis immediate natiuitatem præcedentis, in figura quæstionis alicuius propositæ, inueniebat in aliquo angulo, maximè cum aliqua dignitate, ipsum accipiebat pro significatore, & nõ alium, nam hoc erat unum ex secretis eius. Eadem etiam in hoc casu intentio Ptolemæi fuit, quòd si præcisum Ascendens natiuitatis haberi non possit, quòd illud per animodar inuestigari rectè ac certò possit. Nam per illud inuenimus eum gradum ascendentis, qui multum conformis erit partui naturali post uerũ gradum ascendentis, si ipse scilicet per Animodar non sit ille: qui gradus inuentus, habet similitudinem cum numero Almuten regnatore, ratione motus. Insuper alij, ut Hermes unus uoluit, quòd hora natiuitatis, quam uocat principium secundum, colligata sit naturaliter cum hora conceptionis, quam uocat principium primum, propterea quòd natura cum secundum qualitates primi principij operando fœtum compleuerit, cogat infantem exire in ea hora, quæ sit similis, & cõueniens horæ principij primi. Hinc dixit: Quòd locus Lunæ in hora casus spermatis, sit Ascendens in natiuitate, & in eo loco, qui erat Ascendens in conceptione, reperiatur Luna in natiuitate. Volenti igitur ordiri iudicium, necesse est horam adæquare. Sunt autem duo modi positi à Ptolemæo, primus per Animodar, ut in quadripartito. Secundus per Trutinam Hermetis, ut in Centiloquio. De quibus uide sequentia.

### Modus inuestigandi uerum gradum Ascendentis per Animodar.



**B**latum tempus natiuitatis, uocamus æstimatam natiuitatem, si per instrumenta correctissima non fuerit obseruatum & inquisitum. Si hoc tempus per Animodar Ptolemæi uerificare uolueris, erige primo figuram cœlestem ad tempus oblatum, & si horam natiuitatis præcesserit coniunctio luminarium, uide diligenter quis planetarum plures dignitates essentielles in gradu illius coniunctionis habuerit, & gradum & minutum eiusdem planetæ, in quo inuenitur tempore natiuitatis, collocabis in Ascendente, si ei proximior fuerit secundum quantitatem discretam, siue Arithmeticam. Aut in Medio cœli, si numerus graduum & minorum illius planetæ propior fuerit gradibus Medij cœli quàm Ascendentis. Deinde absolue figuram ita rectificatam per Animodar. Si uero diem natiuitatis oblatum immediate præcederet plenilunium, sumito gradum luminaris tunc eminentis supra terram, & uide tum quis planetarum, potiores in eo loco habuerit dignitates essentielles. Deinde ad instar planetæ habentis in loco Oppositionis plures prærogatiuas, rectificato figuram cœlestem, ueluti iam

K didiceras,